

LIBER III.

**DE PRÆCEPTIS DECALOGI,
ET ECCLESIAE.**

TRACTATUS PRIMUS

DE PRIMO PRÆCEPTO DECALOGI.

Diliges Dominum Deum tuum, cet. Deut. V.

Hujus præcepti, qua parte affirmans est, materia propria sunt actus virtutis Religionis. Est autem hæc virtus moralis, qua interior, & exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus ejus internus est animi submissio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus est, quo internum testamur, ut oratio, sacrificium, adoratio, votum, juramentum, laus, gratiarum actio, & similia. Hoc præceptum, qua parte negans est, prohibet vitia religioni opposita, quæ sunt in duplici differentia: alia, quæ opponuntur per excessum, quæ superstitionis nomine comprehenduntur; alia per defectum, quæ veniunt nomine irreligiositatis. Peccata Religioni opposita, ex genere suo sunt mortalia, & ceteris paribus graviora iis, quæ ceteris virtutibus moralibus adversantur, cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ.

Ex virtute Religionis obligamur ad orationem, quæ a S. Thoma definitur: *petitio decentium a Deo*. Est autem duplex, scilicet mentalis, quæ fit sola mente; & vocalis, quæ non solum in mente est, sed voce quoque exprimitur. Orationem adultis omnibus esse præceptam, constat ex S. litteris. Luca 18. *oportet semper orare, & non deficere*; & c. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante conspectum Dei*. Quæ verba apud SS. PP. necessitatem præcepti significant; eo quod sine oratione nobis non conferantur auxilia necessaria ad salutem, & præsertim donum perseverantiæ finalis, ut notat Aug. *lib. 1. de dono persever. c. 16*. Utrum autem oratio sit nobis necessaria necessitate medii, an solum præcepti? disputant inter se TT. Pro necessitate medii stant communiter DD. cum S. Thoma, Suarez, Lessio, Layman, & aliis. Quando autem obligat hoc præceptum? R. per se obligat sæpe in decursu vitæ, & in mortis articulo, in quo Dei auxilio maxime indigemus: per accidens autem in gravi tentatione, quæ aliter superari nequit, & in magna calamitate populi, vel proximi. De oratione vocali, sacrificio Missæ, & aliis ad Virtutem religionis spectantibus dicemus suo loco: nunc agendum est de vitiis religioni oppositis, ac primo de superstitione.

CAPUT I.

De superstitione, ejusque speciebus.

1. *Quæst. 1.* Quid, & quotuplex est superstitio? Est falsa religio, seu cultus vitiosus veri, vel falsi numinis. Hinc superstitio est duplex: alia cultus indebiti, sivi incongrui, quo verus Deus colitur, tribuendo ei cultum *falsum*, & perniciosum, vel *superfluum*, qui nimirum sit contra, vel præter Ecclesiæ consuetudinem, & præscriptum. Alia est ratione rei, quæ colitur, cum scilicet cultus Deo debitus falso Deo, vel Creaturæ defertur. Et hæc rursus dividitur in idolatriam, divinationem, & vanam observantiam, ad quam Magia revocari potest.

2. *Quæst. 2.* Quinam superstitionem cultus *falsi* committunt? R. 1. qui Deum colit per ceremonias legis Judaicæ. 2. laicus, agens publicum Ecclesiæ ministrum, sacrificans, absolvens, cet. quod semper esse mortale, docet Suarez. 3. is, qui privata auctoritate proponit aliqua tanquam a Deo ordinata ad Dei cultum. 4. qui falsas reliquias exhibet, vel miracula, aut revelationes comminiscitur, aut falsa miracula populo narrat, tanquam in S. historia contenta. Quæ superstitio grave peccatum est, nisi excuset ignorantia.

Quæst. 3. Quinam peccant per superstitionem cultus *superflui*? R. Qui missam audiunt ante solis ortum cum certo numero, & ordine cereorum, vel Sacerdotis, qui dicatur

Joannes, v. g. vel qui habeat staturam Christi: quia hic cultus ex se inanis est, & ad spiritum excitandum inutilis. 2. Qui jejulant in die Dominico, aliis diebus non jejunantes; quamvis ex devotione jejulare in ea die, non sit peccatum, imo materia sit meriti, cum extincta sit hæresis Manichæorum, in cujus odium olim jejunium diei Dominicæ fuerat ab Ecclesia prohibitum. 3. Qui in Missa præter Rubricas plures efformat Cruces, pluries dicit alleluja, aliasque ceremonias auget, vel minuit pro suo arbitrio; nisi is vel ignorantia, vel inadvertentia excusetur, ut sæpe saltem a mortali excusatur.

3. *Quæst. 4.* Quid & quotuplex est divinatio? R. est tacita, vel expressa Dæmonis invocatio ad cognoscendas res contingentes, & libere futuras, vel occultas, quæ naturaliter cognosci nequeunt. Quæ si tales sint, ut a solo Deo sciri possint, involvitur tacita idololatria, quod Dæmoni tribuatur cultus divinus. Si vero sint tales, quas Dæmon quidem possit cognoscere, nihilominus illicita est; eo quod habeatur commercium cum infenso Dei hoste; & importat proditionem quandam, & apostasiam a fide, ac forte etiam, ut vult Suarez, superstitionem. Divinatio duplex est: cum invocatur aperte dæmon, ut manifestet occulta, dicitur divinatio expressa; cum vero dæmon explicite non invocatur, sed ad res occultas, dignoscendas media adhibentur, quæ nullam habent virtutem res illas indicandi, dicitur tacita divinatio.

4. Exprimendum est in Confessione, utrum invocatio, seu pactio cum Dæmone fuerit taci-

ta, vel expressa; hæc enim malitiam habet distinctam, & sæpe adjuncta habet alia peccata, puta hæresim, adorationem Dæmonis, cet. Divinationis expressæ variæ sunt species: *Oraculum*, dum aperte vocatur Dæmon per idola; *necromantia*, si per apparentem mortuorum suscitationem fiat; *Oniromantia*, si per somnia; *hydromantia* per figuram in aqua; *æromantia* in ære, *pyromantia* in igne. Pariter tacita divinatio dividitur in *astrologiam*, quæ fit per situs, & motus astrorum; *auspicium* per signa volucrum; *augurium* per signa animalium. *Omen*, si fiat per casum, v. g. per occursum funeris. *Sortilegium*, si fiat ex sorte, v. g. ex aparitione libri, jactu taxillorum, cet.

5. *Quest. 5.* An divinatio ex genere suo sit mortale? R. Affirm. tam de expressa, quam de tacita divinatione; & quidem expressa nunquam excusari potest a mortali; tacita vero erit tantum veniale peccatum, cum intercedit simplicitas, vel ignorantia, ut in rudibus evenit; vel cum fides certa non adhibetur, sed tantum timor aliquis, vel suspicio eventus futuri. Non excusatur autem a superstitionis peccato is, qui rebus utens ad finem naturaliter ineptis, protestatur, se nullum cum Dæmone commercium intendere; quia re vera facit contra id, quod testatur. Cum enim neque Deus, neque Angeli boni talibus se immisceant, tacite imploratur auxilium Dæmonis. Neque vero is excusatur ob experimenta; quia Dæmon ea procurat ad illaqueandas animas.

6. *Quest. 6.* Quid sentiendum de virga di-

vinatoria, seu *bifurcata*, qua nonnulli utuntur ad inveniendos thesauros, terra abditos, aquarum, aut metallorum venas, transpositos agrorum limites, & præsertim fures, ac homicidas? R. usum ejus inter superstitiones numerandum esse cum Malebr. Continuatore Tournelyi, aliisque. Ratio est, quia talis virga movetur ad mentem illam ferentis, ita ut si quærit metalla, non aquam, virga non moveatur juxta aquam, sed juxta metalla, & contra: ergo non agit physice, & naturaliter; actio enim pure phisica non distinguit mentem, & animum hominis ad agendum. Hinc refert Le-Brun, virgam sæpe stetisse immotam in manibus eorum; qui protestati sunt, sese nihil velle superstitiosum; quod si nulla præcedebat protestatio, virgam statim moveri. His addo: virgam divinatoriam moveri juxta lapidem pro limite constitutum, non item juxta alios eidem contiguos. Quis ergo virgæ mentem dedit, ut lapidem a lapide distingueret?

7. *Quest. 7.* Quid de divinatione per somnia? R. si somnia certo, vel probabilius constet imitti a Deo, illis fidem dare possumus, ac debemus, cum Deus aliquando promiserit, per somnia loqui: *per somnia loquar ad illum*. Et re ipsa in somniis locutum esse quandoque viris sanctis, constat tum ex veteri, tum ex novo testamento. Quod si somnia probabiliter sint ab spiritu nequam, non licet eis credere, quia morali periculo diabolicæ deceptionis se exponit; *multos enim errare fecerunt somnia*, ut habetur *Eccl. 34.*

8. *Quest. 8.* Quid dicendum de Astrologia,

sive naturali, sive judiciaria? R. 1. astrologia naturalis, quæ effecta mere naturalia, ut pluvias, tempestates, serenitatem, sterilitatem & similia conjectura consequitur, caret superstitione. Item ea, quæ prædicat ex horoscopo nativitatis temperamentum, & inclinationes naturales alicujus: verum si ea non ut probabilia, sed tanquam certa prædicat, illicita est, quum in illis causis certo non contineantur. Astrologia vero judiciaria, quæ ex signis, & astris prædicat ea, quæ a libera hominum voluntate pendent, est omnino superstitiosa, etiam si solum tanquam probabilia ex conjecturis prænuntiet. Constat ex Const. Sixti V. quæ incipit: *moderator Cæli*. Generatim verò loquendo, damnanda est divinatio quæcumque circa effecta contingentia, & libera, signa, & dona gratiæ & ea omnia, quæ a Dei, vel hominum libera voluntate dependent, ut & de rebus omnino occultis, si prænuntientur ut certa ex signis mere naturalibus, quæ cum iis rebus non habent proportionem.

9. *Quest. 9.* An liceat usus sortium, & quando? R. sortes sunt in triplici genere: divinatoriæ, consultoriæ, & divinatoriæ. *Divisorie*, quæ adhibentur ad usum honestum, ad divisionem hæreditatis, ad litis compositionem, utraque parte consentiente, licitæ sunt, nec quicquam superstitionis habent; cum sint contractus quidam inter eos, qui, jus habent, ut res illius sit, cui per sortem obtigerit. Sic etiam si plures poena capitis digni sint, nec expedit ut omnes moriantur, sorte dirimi licet, quis eorum

plectendus sit. Sortes licitæ quoque sunt in electionibus ad officia sæcularia, modo sint inter dignos, ut tradit S. Th. q. 97. a. 8. In electionibus vero Ecclesiasticis sunt prohibitæ jure Canonico c. *Ecclesia de sortilegiis*. Sortes *consultoriæ*, quibus inquiritur, quid in hac, vel illa re sit agendum, nisi ex Divina inspiratione fiant, sunt illicitæ, quia continent saltem tentationem Dei, & periculum deceptionis diabolicæ. Raro quoque licent sortes *divinatoriæ*, quibus inquiritur res occulta, vel futura; ut plurimum enim intervenit tacita dæmonis invocatio, & adhibentur media, ad finem obtinendum inutilia. Solum ergo licent in gravissima necessitate, & a Deo expectando sortis effectum.

CAPUT II.

De idolatria, vana observantia, & maleficio.

10. *Quest. 1.* Quid, & quotuplex est idolatria? R. est cultus supremus, qui Creaturæ tribuitur, tanquam Deo. S. Th. q. 93. art. 1. Id vero fit non solum sacrificio, sed etiam quovis signo honoris, quo quis Creaturæ, tanquam Deo se submittere intendit, v. g. genuflexione, suffitu, detectione capitis coram idolo. Hoc crimen vocatur a S. Greg. Naz. Orat. 38. *de Idolol. extremum, & primum malorum*, & a Tertull. lib. de idol. c. 1. *principale crimen generis humani*.

Duplex est idololatria: alia *materialis*, sive simulata, cum quis sine interno affectu, ex me-

tu mortis cultum idolo exhibet; quæ semper est grave peccatum, cum sit mendacium contra Religionem, & sæpe etiam contra confessionem externam. Alia est *formalis*, ac propria; eaque vel est *perfecta*, cum quis adorat idolum, quod re verà credit esse Deum; vel *imperfecta*, cum quis ex odio Dei, vel ex desiderio obtinendi aliquid a Dæmone, aliave creatura, illi cultum Divinum exhibet; eaque ex malitia voluntatis est peccatum gravius, quam perfecta.

11. *Quæst. 2.* Quid, & quotuplex est vana observantia? R. est superstitio, qua medio aliquo improporcionado procuratur aliquis effectus, v. g. sanitas, scientia, cet. S. Th. 2. 2. q. 69. art. 1. Differt autem a divinatione, quod hæc tantum ordinatur ad cognitionem rei occultæ, illa vero ad effectum externum. Divinatio hujusmodi vel fit cum pacto expresso cum Dæmone, vel cum pacto solum implicito. Quatuor species vulgo numerantur. 1. dicitur *ars notoria*, quæ inspectione certarum figurarum, vel certo aliquo jejunio, oratione, cet. utitur ad scientiam repente, ac sine labore acquirendam, ut faciunt Anabaptistæ. 2. dicitur *Magia* (quod nomen alioqui generale est), quæ versatur circa corpora variè immutanda, aliosque mirabiles effectus. 3. est *observatio eventuum*, qua ex consideratione alicujus eventus conjicitur, quid sit futurum; ut v. g. si ex eo, quod casu occurrat vulpes, canis, aut cadaver, certa mala imminere credas, & inde actiones tuas modereris. 4. *observatio sanitatum*, cum adhibentur quædam signa, orationes, certus numerus crucium, sa-

cra verba, cet. veluti necessaria, & efficacia ad expellendos morbos. Idem esto de reliquiarum usu cum vana aliqua circumstantia, ut in tali capsula, tot diebus, cum tali herba, cet.

12. *Quæst. 3.* Quale peccatum est vana observantia? R. est mortale ex genere suo, quia tribuit Creaturæ honorem Divinum, & nititur pacto cum Dæmone. Nec parvitas materiæ excusare potest a mortali, quia in quavis materia est gravis Dei contemptus. Erit tamen veniale ratione ignorantia, si pactum sit implicitum tantum, nec integra fides adhibeatur. Nec ideo quis immunis est a peccato, eo quod testetur, nolle se pacisci cum dæmone; quia re ipsa facit contra suam testificationem, dum medium vanum, & inutile usurpat ad finem aliquem obtinendum. Hinc in jure Can. c. de sortileg. Sacerdos, qui ex astrolabio auctorem furti inquirere voluit, etsi sine intentione invocandi dæmonem, gravissime peccasse dicitur, & a ministerio altaris per annum integrum removetur.

13. Unde poterit vana observantia dignosci ex his capitibus. 1. si ad effectum aliquem obtinendum adhibetur aliquid, quod nullam habet cum fine proportionem naturalem, nec a Deo per se, vel per Ecclesiam institutum est ad talem effectum, nec communi usu fidelium adprobatum; ut gestare amuleta, ligaturas, involucria certis characteribus signata contra vulnera, vel subitam mortem. 2. si adjungatur vana quædam circumstantia v. g. flagellatio certa hora, nec alia, certo numero flagellorum, cet. vel adhibeantur nomina peregrina, & igno-

ta, vel falsæ historiæ, v. g. Christum habuisse febres, vel spasimum. 3. si effectus statim evanescat, signum esse solet ut plurimum, eum non provenire a causâ naturali, nec a Deo.

14. Hinc superstitiosum est, gestare reliquias, aut imagines, adhibere preces aliquas, aut orationes, illis vim certam, & infallibilem tribuendo expellendi morbos, liberandi ab hoste vel a morte, non moriendi sine prævia confessione; quia nullæ preces, ut ait S. Ant. talem vim absolutam, & infallibilem habent a Deo promissa. Hoc tamen nihil impedit, quominus a Deo per preces, & merita SS. hæc bona speremus. Est quoque superstitio, certos dies habere faustos, alios infaustos, ideoque in illis negotium omittere: pariter in aliquo die festo. V. g. S. Joannis Bap. certas adhibere orationes ut cognoscatur, cui oporteat nubere, & similia. Non est tamen vitiosum, novendialia SS. peragere cum certo numero precum, vel candelarum in memoriam alicujus mysterii, modo ita credatur, ut non prosint, si alio ordine aut numero fiant.

15. Non est superstitiosum, consulere eos, qui virtutem naturalem habere dicuntur ad curandos aliquos morbos, qualis tribuitur Galliæ regibus ad sanandas strumas, sicut eos SS. implorare, quibus Deus gratiam concessit curationum. Quando autem adhibentur certa signa, vel certus numerus precum ad curandum morbum, periculum est, ne superstitio intercedat. Idem dico de orationibus, ex psalmis compositis, qui *Ensalmion* vulgo dicitur, & adhibetur ad curandas infirmitates. Cavendum est, ne cum verbis scri-

pturæ alia verba inania misceantur, aut ne nomen inusitatum Angelorum adhibeatur; tunc enim superstitio intercedet, & tacita Dæmonis invocatio. Secus vero si per verba ex psalmis deprompta petas salutem a Deo, nec eis vim certam, & infallibilem attribuas.

16. *Quæst. 4.* An liceat uti pulvere sympathico? R. cum multi ex Physicis ei pulveri, calcinato vitriolo composito vim tribuant sistendi sanguinis, & medendi vulnere, etiam aliquot passus distant, ejus usus non potest superstitiosis damnari, nisi in tanta distantia adhibeatur, ut naturaliter virtus ejus agere posse non videatur. In dubio autem, an effectus aliquis proveniat a causâ naturali, an non? standum esse pro causâ naturali, doceat D. Thom. 2. 2. q. 5. a. 4.

17. *Quæst. 5.* An superstitionis damnanda sint remedia contra fascinationem? R. quæstio est inter physicos, num re ipsa sit fascinatio naturalis, qua oculi invidorum aerem inficiant, atque ita noceant inimicis. In re igitur dubia non est vitiosum adhibere remedia aliqua, quibus ab aeris infectione liberemur; modo remedia illa opportuna censeantur, qualia certe non sunt oscilla, seu turpicula, quæ ad ea vitanda solent adhiberi.

18. *Quæst. 6.* Quid est maleficium, & quotuplex? R. est vis nocendi aliis ex pacto, & opera Dæmonis. Differt a *magia*, quod hæc intendit mira facere, illa nocere aliis. Maleficium aliud dicitur *amatorium*, seu *philtrum*, cujus usus est, carnalem amorem excitare, Dæ-

mone phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem, quæ semper libera manet; adeoque peccat, si maleficio labatur. Aliud est *beneficium*, quo alicui personæ damnum infertur signis certis, quibus Dæmon cooperatur. Contra maleficia uti licet remediis ab Ecclesia præscriptis, puta exorcismis, orationibus, cet. 2. remediis a medicina petitis, quæ corrigant pravos humores; non vero licet uti iis, quæ natura sua conferre nequeunt ad phantasiæ tranquillitatem, & sedandos humores. 3. destructione signorum, quæ apponi solent ad invocandam opem Dæmonis, sed non licet uti alio maleficio, cum illud sit intrinsece malum. Licet etiam signa maleficii tollere, apponendo alia signa, quæ natura sua sint honesta, modo absit omnem pactum, etiam tacitum cum Dæmone. Licet quoque petere, & cogere Magum, ut maleficio solvat, minime autem cum alio maleficio; id enim esset peccato ipsius cooperari.

19. *Quæst. ult.* Quo pacto se gerere debet Confessarius cum Maleficis, Magis, cet? R. Examinandi sunt, quo fine tali superstitioni se addixerint. 2. An inciderint in apostasia, idolatriam, aut hæresim. 3. de blasphemis in Deum, & Sanctos, ac de sacrilegiis. 4. de luxuria, & damnis proximo illatis. Deinde monendi sunt, ut pactum cum Dæmone dissolvant, & commercium abjurent, libros, schedas, & signa comburant: item chirographum, si quod habent; si vero solus Dæmon illud habeat, non est cogendus, ut reddat, quum pac-

tum per poenitentiam dissolvatur. Tandem ut damna illata resarciant.

CAPUT III.

De irreligiositate, ejusque speciebus.

20. Irreligio est peccatum, quo Deus vel in se, vel in rebus sibi sacris inhonoratur: in se quidem per tentationem, blasphemiam, & perjurium; in rebus autem Deo sacris per simoniam, & sacrilegium. De blasphemiam, & perjurio agemus in 2. præcepto Decalogi, de reliquis in hoc loco. Ac primo quidem de tentatione Dei, quæ a S. Th. definitur: dictum, vel factum, quo quis explorat aliquam Dei perfectionem. Eaque vel est expressa, & *formalis*, cum quis dubitans de aliquo Dei attributo, illud experiri tentat: ut si absque necessitate petas miraculum ad demonstrandam religionis veritatem: aut te præcipitem e turri agas, ut periculum facias de misericordia, vel potentia Dei; vel est implicita, & *virtualis*, quando quis etsi expresse non intendat tentare Deum, id tamen facit, quod suapte natura eo referri videtur; ut si quis periculo se exponat, a quo naturaliter eripi non potest, vel uti nolit mediis naturalibus, v. g. medicina ad obtinendam salutem, sperans a solo Deo sine ullo remedio curandum. Huc pertinent, concionari, & docere sine studio ullo, vel scientia: huc etiam probationes justitiæ, vel innocentiae per ferrum candens, aquam ferventem, quæ prohibita sunt

c. 1. & 2. *de purg. vulg.* Quod si Deus illas aliquando miraculo comprobasse visus est, id contigit, vel quia Deo inspirante factæ sunt; vel quia innocentes ad eas compulsi sunt, ut iustitiam suam probarent; vel quia bona fide, & conscientia sunt factæ.

21. *Quæst. 1.* Quodnam peccatum sit tentatio Dei? R. omnis Dei tentatio ex genere suo est peccatum mortale. Nam Deuter. 6. & Matth. 40. expresse dicitur: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ratio autem est, quia velle explorare aliquam Dei perfectionem, in gravem Dei contemptum redundat. Imo quandoque adjunctam habet infidelitatem, cum dubitatur de aliqua Dei perfectione. Quandoque est etiam peccatum contra charitatem propriam; ut si jungatur cum proprio vitæ, aut gravis damni periculo. Potest autem esse tantum veniale peccatum tentatio *interpretativa* vel ob inconsiderationem, vel ob ignorantiam, vel ob imperfectionem actus. Imo sæpe nullum est peccatum, cum adest justa causa petendi a Deo miraculum, vel ex Dei inspiratione, vel ex necessitate, aut utilitate; tunc enim nullus est Dei contemptus, aut irreverentia. Si quis tamen in re levi ex sola curiositate miraculum exoptaret, graviter adhuc peccaret, volens, ut Deus, curiositati suæ satisfaceret. Suarez, Sanch. Salm. contra Cajet. Tolet. alios.

22. *Quæst. 2.* Quid, & quotuplex est sacrilegium? R. est violatio, seu indigna tractatio rei sacræ, quæ quidem triplex est; localis, scilicet, realis, & personalis. *Sacrilegium personale*

est violatio personæ Deo sacræ, qualia est Clericus, & Religiosus. Quod tripliciter fieri potest, nempe illos percutiendo, & male tractando contra privilegium Can. *Si quis suadente*; deferendo ad sæculare iudicium contra Ecclesiæ immunitatem; denique violando votum castitatis, quo Deo sese specialiter consecrarunt. *Locale* sacrilegium est omnis actio, qua Ecclesia polluitur, sive effusione humani sanguinis, sive seminis. Quæ quidem intelligitur etiam polluta, seu profanata per sepulturam excommunicati non tolerati, & non baptizati, per negotiationes, effractiones, spoliationes, concilia sæcularia, atque alias hujusmodi actiones, sanctitati loci, & immunitati contrarias. Item si materia rei sacræ, vel Ecclesiæ directe in profanos usus convertatur; si reus ex asylo sine auctoritate ex trahatur, si furto res sacræ auferantur.

23. *Reale* Sacrilegium est indigna tractatio rei sacræ, a persona, & loco sacro distinctæ. Tale est administratio Sacramentorum in peccato lethali; profanatio sacrorum instrumentorum, quæ consecrari, vel saltem benedici solent ad usum immediatum sacrificii. Pariter violatio sacrarum imaginum, & reliquiarum, abusus verborum S. Script. ad res turpes, vel hæreses stabiendas. Imo. Conc. Trid. Sess. 4. temeritatis damnat eos, qui verba S. Scripturæ detorqueant ad scurrilia, vana, & fabulosa. Est quoque sacrilegium *locale* læsio bonorum Ecclesiæ, quæ pertinent ad ornamentum Ecclesiæ, aut ad sustentationem Ministrorum, ut ait D. Th. 2. 2.

q. 99. a. 3. intellige *Ministorum* Ecclesiæ, quæ tales sunt; cetera enim bona Ecclesiastica sub hac regula non comprehenduntur.

24. *Quæst.* 3. Quale peccatum sit *sacrilegium*? Ex genere suo mortale, quia per illud gravis injuria Deo infertur, cum rei sacræ contemptus redundet in Dei ipsius contemptum. Hinc in confessione semper exprimenda est circumstantia sacrilegii, v. g. furti in Ecclesia, & luxuriæ cum persona Deo sacræ. Imo & species sacrilegii declarandæ sunt, cum non semper omne sacrilegium sub una specie contineatur.

Quæst. 4. An omne peccatum in loco sacro commissum contrahat malitiam sacrilegii? R. affirm. de actibus externis, quia talia peccata directe repugnant institutioni, & sanctitati loci, in quo Deus pie colendus est. Enim vero si actiones profanæ, alioqui licitæ, ut venditio columbarum ad usum templi, a Christo prohibitæ sunt, & punitæ, tanquam quid repugnans loci sanctitati, quia templum domus orationis est; quid dicendum est de actionibus externis, quæ in se malæ sint, & a Deo prohibitæ? Peccata vero interna ex communi opinione non contrahunt malitiam sacrilegii, nec per illa violari censetur locus sacer.

25. Hic nota 1. sacrilegium quandoque perpetrari sola omissione, ut si corporalia, vasa sacræ, & alia, quæ proxime Sacrificio inserviunt, sunt valde immunda; si Crisma, vel Eucharistia non satis custodiatur, si species Eucharisticæ corrumpi sinantur in pyxide, cet. 2. Ecclesiæ nomine comprehendendi quoque cœmeterium,

Sacristiam, & claustra religiosa, quando agitur de violatione asyli, ubi lex viget: furtum vero non censetur sacrilegium in claustris, & Oratorio domus privatæ, nisi sit de re sacræ. In Oratoriis vero Xenodochii, vel Eremitorii, merito ait Sanchez, omne furtum esse sacrilegium. Constat ex c. *Quisquis* 27. q. 4. ubi damnatur ut sacrilegus a Joan. VIII. *auferens sacrum, de sacro vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro* 3. Violatio voti est sacrilegium, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3. ad 3. quamvis id multi solum concedant de voto castitatis. Denique notandum, feminis, & laicis non licere attingere ea, quæ sunt chrismate delibuta, nec ea, quæ Eucharistiam proxime contingunt, ut calices, patenas, cet. quamvis si id fiat ex causa, & sine contemptu, aut nullum erit peccatum, aut certe non erit mortale. Pro monialibus vero adest privilegium, ut docent Salmant. Corporalia, vel purificatoria lavari a feminis non licet, nisi prius a Sacerdote lota fuerint.

CAPUT IV.

De Simonia.

26. *Quæst.* 1. Quid est simonia? R. est studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. S. Th. 2. 2. q. 100. ar. 1. Sic dicta est a Simone Mago, qui pecunia voluit emere dona Spir. S. ut constat ex Act. Apost. c. 8. Nomine *emendi*, aut *vendendi* intelligitur quivis contra-

Tom. I. 14